



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1442. usque ad annum 1460

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1768

VD18 90118324

§. 93. Papa a Cosma Medicæo Florentiæ exceptus

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66507](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66507)

cum autem Rex ab utraque parte in auxilium vocatus, importunis precibus pulsaretur, spondit, tam hos, quam illos a se potenter protegendos, nihilominus tamen rem indecisam reliquit. Unde factum, ut multo tempore Ecclesiæ Administratorum unus esset Catholicus, alter Hussita. Sub idem tempus Rochisana, ut sectam suam ab orthodoxa doctrina haud multum discrepare Catholicis persuaderet, prolixum edidit tractatum de Sacramentis secundum fidem Ecclesiæ universalem adversus Taboritarum errores. Nunc vero ad Pii Pontificis iter redeamus.

§. XCIII.

Papa a Cosmo Medicæo Florentiæ exceptus.

Igitur Papa Senis Florentiam contendit, ubi celebris ille Cosmus, sive Cosmas summum Pontificem maximis honorum ac magnificentiæ signis excepit. Is ex nobilissima Medicæorum Familia natus, eo tempore pro summo imperio Republicam moderabatur, ac divitiis in tota Europa nemini ex Nobilibus secundus erat. Primam lucem aspexerat Anno millesimo trecentesimo nonagesimo nono die vigesima septima Septembris, dein in supremum Florentinæ Reipublicæ signiferum electus, & completis ætatis suæ annis

hexa-

Sæcul. XV.
A. C. 1459.

*Paul. Jov.
alog. lib. 7.
Gobel. Pers.
Comment.
Pii II. lib. 2.*

Sæcul. XV. sexaginta quinque, & tribus mensibus,
A. C. 1459. ac viginti diebus, Anno Christi millesi-
 mo quadringentesimo sexagesimo quarto
 fati functus est. Immensas ferme divi-
 tias accumulavit; per omnes enim Eu-
 ropæ atque totius Asiæ Provincias mer-
 caturam exercebat; demum vero magis
 secunda hac fortuna plurium æmulum
 invidiam in se concitabat, perversisque
 eorum artibus unacum Fratre suo in exi-
 lium pulsus, Venetias petere coactus est,
 ubi honoribus vere Regiis exceptus,
 paulo post ab ipsis Florentinis revocatus
 fuit. Idem Virum honorifice ac libera-
 liter excipientes. communi omnium ap-
 plausu Patrem populi, ac Liberatorem
 Patriæ salutarunt. Cum vero ipse lite-
 rarum, literatorumque Virorum amore,
 ac studio longe clarissimus esset, sua
 munificentia Florentiam accivit pluri-
 mos, qui suis lucubrationibus huic
 Fautori suo immortalem gloriam
 conciliare studebant. Erexit quoque
 Bibliothecam tam ædificii magnifi-
 centia, quam autographorum, necnon
 selectissimorum librorum copia longe ce-
 leberrimam, quæ postea Catharinæ de
 Medicis, ejusque Fratri Etruriæ Duci
 æquis partibus cessit. Horum autogra-
 phorum nonnulla tam Græca, quam La-
 tina in Gallias delata fuere: Verbo,
 adeo crevit Cosmi Medicæi potentia, ut
 ei

ei nihil ad regnum, nisi nomen, & dignitas deesset: Hujus etiam Viri consiliis magna pars urbium, ac Principum Italiae utebatur; nihil enim illius notitiam effugisse credebatur, cum ipsi ex orbe vix non universo mercatores, quae ubique fierent, crebris epistolis indicarent.

Sæcul. XV.
A. C. 1459.

Comment.
Pii II. lib. 2.

§. XCIV.

S. Antonini Archiepiscopi Florentini Obitus.

Cum Florentiæ Pontifex ageret, Sanctus Antoninus hujus urbis Archiepiscopus die secunda mensis Maii, quæ erat feria quarta, in Vigilia Domini ad coelos ascendentis anno ætatis suæ circiter septuagesimo obiit. Hic Florentiæ post Christum natum millesimo trecentesimo octogesimo nono primam lucem aspexit. Patrem habuit Nicolaum Pierrozum publicum urbis Syndicum, Matrem vero nomine Thomasiam. Horum Parentum cura pie educatus, S. Dominici institutum profitebatur, ac postmodum omnibus ordinis sui muniis, atque dignitatibus functus, demum a Cosmo de Medicis summo honore, ac uberrimis benevolentiae signis liberaliter auctus est. Eundem etiam Florentinorum Republica pluribus decoravit Legationibus ad summos Pontifices Nicolaum V. Callistum

Vicent. Martignard in vit.
S. Anton.

Trithem. &
Bellarmin.
de Script.
eccles.